



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per  
Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum,  
quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia  
Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 60. Qualiter procedatur in delictis in fragrante comprehensis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](#)

terest, non tantum Prælatos & Parochos, sed & alios clericos, seu ejusdem Ecclesiae beneficiatos habere bonos. ita Pirk. n. 102. citatis Host. in c. super his. col. 2. §. excipitur. Abb. n. 10. & 11.

**Quæst. 60. Qualiter procedatur in delictis in flagrante comprehensis.**

**R**EPL. Dum delinquens comprehensus v. g. in actuali furto à ministris justitia vel aliis, statim ad judicem deducitur, vel etiam ab ipso judice præmonito superveniente cum testibus, vel etiam coram illo pro tribunali sedente delinquit, cum eo procedi potest non servato juris ordine, v. g. non requisito accusatore aut denunciatore, aut etiam sententia cum juris solennitate prolatæ. Quin & per simplex judicis decretum aut præceptum pena infligi potest. In primo tamen & secundo casu examinandi testes, super delicto & apprehensione,

& si reus neget, nec afferat aliqua pro excusatione, amplius examinandum, & defensores & patronos concedendos afferit Reiffenst. n. 270. citatis Clar. l. c. q. 8. Passer. l. c. c. 11. Farin. l. c. a num. 152. De cetero, dum judex nec pro tribunalii sedens, nec actu exercens actum jurisdictionis, sed alia occasione suis oculis videt, non dicitur delinquens in flagrante deprehensus, in ordine, ut contra eum procedi possit non servato juris ordine, licet possit sine alia denunciatione aut accusatione inquirere contra ipsum & informationem capere, servato in ceteris juris ordine. Clar. l. c. n. 5. Farin. Passer. n. 162. quos citat & sequitur Reiffenst. num. 269. Plura quæ concernunt visitationem, accusationem, inquisitionem, ceterumque processum criminalem regularium vide specialiter fusæ tractatae à Reiffenst. aq. 270.

## TITULUS II. De Calumniatoribus.

**Quæst. 61. Calumnia quid sit & quotuplex?**

**R**EPL. Primo: Calumniari in sensu generali nihil est aliud, quam malitiosa & mendax aliquis infamatio. Quantus vero ad judicia referunt, est aliquem per fraudem litibus vexare, Lauterb. in ff. 1. ad S. C. Turpili. §. 1. juxta l. 233. ff. de V. S. Stri-ctius, seu prout hoc loco accipitur, calumniari dicitur, qui alteri, quem fecit (aut scire debet, ut Clar. §. fin. q. 62. n. 7.) esse innocentem, scienter & dolose falsum crimen in judicio intendit, seu contra alium proponit. Ita communis, arg. l. 1. ff. ad S.C. Turpili. Unde calumniator in hoc sensu dicitur, non solum, qui alterum falsè accusat aut denunciat, sed & quicumque alius, qui falsum crimen contra alium in judicio proponit, arg. l. 6. ff. eod.

2. Resp. Secundo: Calumniari dupliciter quis dicitur, nimis verè, prout jam descriptum est, & præsumptivè, dum qui crimen à se propositum probare nequit, hoc ipso calumniari, seu item calumniosè movisse censetur seu præsumitur, arg. c. 2. b. t. & ibi Gloss. V. calumniari. Abb. num. 5. Pirk. b. t. n. 1. Cum is qui accusare vel denunciare vult, probationes paratas habere debeat, juxta l. qui accusare. c. de edendo. Quamvis, ut cit. AA. hæc præsumptio non sit juris & de jure, adeoque contra eam pro innocentia Accusatoris & Denunciatoris admittatur in hoc casu probatio. Non tamen eo ipso statim pro Calumniatore haberi, & tanquam talis à Judice puniri debet, quod in probatione deficit, sed examinare & inquirere ex officio debet judex, qua de causa duetus ad falsi crimini delationem accesserit, & num talis Accusator vel Denunciator pro se afferat Probationes & Præsumptiones, quæ dolum & animum calumnianti excludant, & si tales attulerit, absolvendus à crimine calumniae, Menoch. de arb. c. 321. num. 3. Farin. pr. crim. q. 26. Wiestn. b. t. num. 3. & alii cum communī, juxta l. 1. §. 3. ff. ad S. C. Turpili. Tales vero causa & præsumptiones, num ad hoc hic & nunc sint sufficientes, relinquendum officio judicis. l. 1.

**Quæst. 62. Quænam in specie sint presumptiones ejusmodi?**

**R**EPL. Adduci solent sequentes: Primo qui ex officio, seu ex necessitate officii denunciant, nisi confiteret, eos falsè denunciare; obligatio enim officii eos excusat à præsumpta calunnia, non à vera, Clar. §. fin. q. 7. n. 12. Farin. l. c. q. 16. n. 17. Pirk. b. t. n. 6. Wiestn. l. c. Reiffenst. n. 5. juxta n. 13. arg. l. 2. c. de his qui accus. & l. 2. c. de dolo. Secundò est de denunciatoribus privatis, qui sponte ob privatum interest vel ob aliam particularem causam denunciant, Pirk. l. c. arg. l. Divus. ff. de custod. reor. Secundò, qui saltē semiplène per unum testem probavit, Farin. l. c. num. 21. Menoch. l. c. n. 17. & 18. Felin. in c. 2. b. t. num. 3. Pirk. num. 5. nisi, ut idem, confusiverit calumniari; tunc enim præsumitur semper calumniari, quæ præsumptio elidit semiplenam probationem, per quam elidebatur præsumptio calumniae. Tertiò si accusator fuit deceptus in testibus promittentibus extra judicium se plenum datus testimonium, postea in judicio negantibus vel vacillantibus, Abb. in c. 2. b. t. Farin. l. c. n. 49. & 50. Pirk. Wiestn. l. c. Reiffenst. num. 18. Idem est, si testes ab accusatore nominati mortui sunt, vel procul absentes, vel à testificando malitiosè impediti, Pirk. Wiestn. Reiffenst. l. c. vel si testes ob inhabilitatem prius fuerunt rejecti, aut alii de se inhabiles ad testificandum, ignorante id Accusatore vel Denunciatore, Menoch. l. c. n. 31. Wiestn. l. c. Reiffenst. num. 19. testans de communi. Quartò si probationes alia sint accusatori malitiosè subtractæ. Quintò, mulier accusatrix ob fragilitatem excusat à calunnia præsumpta aliæ ex defectu probationis. Pirk. l. c. Reiffenst. num. 14. juxta l. 1. §. 10. ff. ad S. C. Turpili. Sextò, si quis accuset aliquem de eo delicto, de quo antea erat infamatus, vel quia alia indicia criminis ad torturam, vel saltē ad inquirendum sufficientia præcesserunt, Farin. l. c. n. 61. & 62. Pirk. l. c. Reiffenst. n. 17. Septimò si atrocitate criminis redundantis in grave damnum boni reipublicæ, v. g. læsæ majestatis, heresis, Simonia ductus quis accusavit aut denunciavit. Abb. in c. 2. b. t. n. 2. Felin. ibid. n. 6. Farin. l. c.